

nostrum praesentibus est appensum. Datum Mysnae anno domini M^o.CCC^o.XIII^o. in die sancti²⁾ Johannis apostoli et evangelistae, praesentibus testibus infra scriptis, videlicet patre nostro domino Heynrico de Kolditz seniore, Thymone fratre nostro, Theoderico Sebenitz militibus, Vlrico custode Mynensis ecclesiae, Theoderico de Lympach officiale nostro, Herbordo plebano in Kolditz capellano nostro, et quam pluribus fide dignis.

Et nos Heinricus dei gratia praepositus, Heynricus decanus et capitulum ecclesiae Mynensis in praemissorum testimonium ac evidentiam firmiorem sigillum nostri capituli praesentibus duximus apponendum.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Die beiden an rothseidenen Fäden befestigt gewesenen Siegel sind abhanden gekommen. An einer zweiten weniger sorgfältig geschriebenen Ausfertigung (B) fehlen gleichfalls die Siegel.

²⁾ beati B.

No. 194. 1314. 14. Febr.

Der Probst und Convent bekennen eine Schenkung des M. Syboto empfangen zu haben und versprechen die hieran geknüpften Bedingungen zu erfüllen.

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Nos Cunradus dei gratia praepositus, Har. prior totusque conventus ecclesiae sanctae Aefrae in Misna omnibus Cristi fidelibus hanc litteram inspecturis orationum consolationem devotarum cum salute in omnium salvatore. Modernorum acta idcirco privilegiis roborantur, ne, ut quandoque fieri solet, per successorum seu posterum negligentiam vel malitiam irritentur. Hinc est, quod nos praepositus totumque capitulum nostrum recognoscimus publice profitentes, quod magister Syboto pio ductus affectu transitoria volens commutare in aeterna, tria maldaria annonae, unum scilicet siliginis et duo avenae, quae in villa Alberdorf comparavit, ob reverentiam omnipotentis dei et gloriosae virginis genitricis suae Mariae dictae nostrae ecclesiae et specialiter conventui dedit libere et donavit et sub hac forma obtulit perpetuis temporibus possidenda, dictam vero annonam simul et avenam magister infirmorum, qui pro tempore fuerit, nomine capituli tollet et recipiet et rusticis ipsam apportantibus in prandio providebit, et idem magister infirmorum de praedicta annona V solidos pro infirmorum refectioe singulis annis retinebit; nec non iterum quinque solidos praedicto nostro conventui pro anniversario patris et matris praefati magistri Sybotonis eo vivente in vigiliis et missis in choro sollempniter peragendo secunda feria post Invocavit singulis annis ministrabit; eo vero de medio huius vitae sublato suus anniversarius de praedictis quinque solidis eo modo quo praemissum est peragetur, et singulis septimanis hora prima quatuor missae sicut hucusque servatum est celebrentur sive dicentur, primam missam de beata virgine, secundam de sancta Katerina, tertiam pro defunctis, quartam pro voluntate dicentis, in quibus omnibus horum memoria fieri debet, magistri Sybotonis, Eberhardi patris sui, Gerdrudis suae matris, Conradi Helwigis, praepositi Thilmanni, magistri Gebehardi, domini Johannis de Strelis, domini Conradi de Boruz, episcopi Withegonis, episcopi Alberti, Conradi sacerdotis et aliorum benefactorum